

uno tempore tentabantur. Sic annis 1653 et 1663 in disceptationem venit jus collectandi subditos monasterii, hactenus a monasterio semper exercitum. Annis 1655, 1662 et 1663 volebant officiales episcopi, ut subditi abbatis juramentum dicerent ipsi quoque episcopo. Annis 1655, 1665, 1666 jus capiendi, torquendi et perducendi maleficos in quaestionem vocabant. Anno 1659 et insequentibus de jure salis vendendi a monasterio usurpato disceptatum. Annis 1663 et 1664 exactiones vinariae monasterio pendi solitae in controversiam ducebantur. Annis demum 1659, 1663 uno quasi impetu de plerisque monasterii juribus his intentabatur. Quae quidem omnia noster amicorum utique potius suorum ope, quam juridicis velitationibus monasterio sarta tecta conservavit. At praegnans inprimis venationis causa varie lacescebatur, nam quum monasterium jam inde a 600 et amplius annis in non spernendo silvae tractu nemine prohibente jus venandi exercuisset, visum est tandem consiliariis episcopalibus opportunum, jus istud monasterio extorquere et in episcopum, qua protectorem monasterii, transferre. Primus, qui ea in re tentaret aliquid, fuit nobilis dominus Balhasarus de Hoerde*, dynastiae Ettenheimensis prope monasterium episcopi nomine praefectus. Is anno 1653, tum annis 1655 et 1656 jus illud monasterii invasit. Annus vero 1663 huic rei pene fuit fatalis, quo episcopus ipse a suis in transversum actus id juris vi sibi arrogare velle videbatur, aegre tandem, anno 1664 exeunte, de sua sententia dimotus et faventiora imposterum tempora pollicitus. Ea maxime occasione nostri dexteritas an constantia enituit; ratus enim, quod res erat, se suscipiendae cum episcopo causae impari esse, mitiora remedia amplexus est: primum terna vice episcopi pedibus advolutus et lacrymabundus antiquissimi juris usu ne privaretur, deprecatus est, tum juris utriusque consultorum ac theologiae quoque doctorum placita monasterio faventia objecit, postremo illud ipsum juramentum, quo se episcopo olim ad defendenda monasterii jura obstrinxerat, allegavit. Hisque atque aliis, amicis praesertim suis strenue rem promoventibus, jus venandi monasterio salvum tandem atque illibatam perpetuavit. Summa mali in illud ipsum caput, quod turbarum causa extiterat, dominum de Hoerde scilicet, recidente, qui brevi post exauctoratus dignam turbu-

* Joh. Balhasar von Hörde war Bischoffl. Straßburg, Amtmann, er hielt sich 1646 und 47 in Offenburg auf, 1651 war er in Ettenheim. Aus zehn Jahren fand ich Briefe von ihm. Sein Amtsnachfolger war Ignaz Wilhelm Casimir Freiherr von Layen, Straßburg, Amtmann in Ettenheim 1676—86.

lento consiliario poenam persolvit. Fuerit hoc industriae Francisci effectus, at non minoris sagacitatis illud specimen fuit, quod involutissimam illam collectarum ac territorialis jurisdictionis causam, anno 1720 postliminio tantum non inter necino monasterii malo enatam, multoties licet provocatus declinarit. Vix non aequae magni momenti negotium nostro cum Ettenheimensium magistratu intercesserat glandium legendarum causa, quando maleficiali isti homines usque eo progressi sunt, ut anno 1658 integrum 90 porcorum gregem ad monasterium pertinentem abigerent, anno autem 1659 ipsi abbati jurium monasterii tenacissimo remotionem ab abbati dignitate comminarentur. Sed hi quidem anno 1662 episcopali consiliarium interventu repressi sunt. Paulo leviora, sed et diuturniora fuerant, quae nostro facescebat negotia comes de Tübingen, impotentis animi foemina, Liechteneckensis in Brisgoja dynastiae domina*, ideoque amicorum auctoritate potius, quam juris contentione definita, quemadmodum et ea, quae a Kenzingano ac Endingensi magistratu anno 1654, atque a Lautenbacensibus** in Alsatia canonicis annis 1666 et 1684 ratione decimarum mota sunt jurgia. Cum uno Anterioris Austriae praelatorum ordine Brisgoico convenire nostro nunquam licuit, etsi saepe tentarit, ratione collectarum inde jam ab anno 1519 controversarum, quin et anno 1654 ab illius ordinis assessoribus paulo, quam ea dignitate virum oportuisset, illiberalius ac tantum non rustice acceptus est. Felicius illi successit aliud postremumque ipsius consilium, quo vi imperatorii privilegii nundinas hactenus Münchwirae*** celebratas, ad locum monasterio viciniorem atque commodiorem anno suo emortuali 1686 transportavit. Etsi vero per se ipse consultissimus rerumque quarumvis bene gerendarum peritissimus esset, absque tamen suorum consiliis quidquam aggressus non est, utque omnia rite procederent praeter officiales domesticos saeculares et religiosos extraordinarii insuper syndici ad haec conducti perpetuo utebatur consiliis, quo munere praecclare prorsus ab anno 1653 ad annum usque 1669 per-

* Der Verfasser nennt hier die Gräfin Elisabeth Bernhardina zu Tübingen und Herrin zu Liechtenek comes, nicht comitissa, weil sie nur als Erbin der Grafschaft betrachtet wurde. Sie heirathete den Grafen Karl zu Salm-Neuburg und verkaufte 1660 die Herrschaft Liechtenek mit Heddingen, Forchheim, Schelingen und dem Fünffaltheil von Riegel u. A. an den Freiherrn Johann Heinrich von Garnier. Siehe Dr. L. Schmid, Geschichte der Pfalzgrafen zu Tübingen.

** Lautenbach, Dep. Haut-Rhin, Arrond. Colmar.

*** Münchwirer, Amt Ettenheim.